

Z c
5029



M A R G A R E T A E
B A R B A R A E
L Y N C K E R I A E

ILLVSTRIS MATRONAE

IN MEDIO AETATIS FORTVNAEQVE
NEC MINVS LAVDVM OMNIVM FLORE
TERRIS, QVARVM INGENS DECVS FVERAT

EREPTAE

CAELESTIBVSQVE SEDIBVS VINDICATAE

E X E Q V I A E

IN ACADEMIA IENENSI

PUBLICOS INTER GEMITVS

SVPREMO CVLTV CELEBRATAE

D. XX IANVARIII, M DC XCV.



EXCVDERAT IO. ZACHARIAS NISIUS.

* * *

Ad lacrymas, ad lacrymas
Occidit repentino fato
Tristique spectaculo percellit animos
Magna Phoebi non soror, sed coniux
Spectabilis siderum regina
Non aliena vnice coruscans luce
Nec alterna vice
Et nocturna solum tempora moderans
Sed indiuisa maioris iubaris comes
Perpetuos dies illustrans

**MARGARETA BARBARA
LYNCKERIA**

Tam & admiranda virtutum laude

Et decoris sexui operibus
Cum marito certans de gloria
Quam dignatione fortunaque præfulgens.
Iacet illa supremumque spargens lumen
Decretoriam horam generosa expectat
Non votis non suppliciis auertendam
Iamque stringit ferrum ferrea Atropos
Iam florentissimos scindens annos

Tot ornamenta, tot gaudia
Vno impetu abrumpit
Vt doceamur vel inuiti
In terris mori etiam deas.
Stat ipse inops Machaon consilii
Nihilque humana profici ope
Testatam tot miraculis artem
Mortis fieri ludibrium
Gemebundus profitetur.

Stat attonitus fato
 Viduatus & in vxore extinctus maritus
 Confortem sibi prudentiam, confortes manus
 Blandam curarum requiem
 Nec dum ereptam credens.
 Accurrit trepida Musarum cohors
 Cernensque pios coniugis, pios natorum fletus
 Cernens quatientem pectora familiam
 Vix suis imperat oculis
 Queruloque carmine & miserabilibus modis
 Tantos compescere luctus frustra conatur.
 O decus, o exemplum, o heroina matronarum.
 Quid fugis desertura tuos
 Quid auersaris, qui in complexu tuo emoriuntur?
 Quid funesto complexu luctu omnia
 Ipsumque tenebris Solem tuum inuoluis?
 Circumstat feretrum
 Ingenua cum Probitate Pietas
 Non tegens religione profanum pectus
 Non fingens ridenda aut coercenda publice somnia
 Sed procul ambitione, procul ineptiis
 Veræ semet sapientiæ impendens.
 Circumstat moderatrix rerum
 Vigiles per omnia vultus circumferens
 Perita officiorum arbitra Prudentia
 Tam exemplo, quam monitis
 Vel prolem fingens parentibus æmulam
 Vel familiam gubernans.
 Circumstat ignara supercilii
 Inque tuo tantum funere ore non sereno Comitas
 Dulcis Charitum chorus

Casta & ignota Mulcibero Venus
 Illa lactea, illa magnanima
 Illa fugiens nugarum Facundia
 Trahensque tandem Benignitas agmen egenorum.
 Circumstant desertæ omnes
 Et interceptum sibi tam carum caput
 Insolabiliter lugent.
 Sed insons iam ac pura anima
 Æternos in orbis collecta
 Ab ipso fonte luminis
 Æternum recipit lumen
 Non vices vllas
 Non terrestrium interiectu rerum
 Dispendia fulgoris expertura.
 Nos spargemus interim exuias lacrymis
 Amaturi quousque licet
 Pulchrum nuper tantæ hospitis penetrale.
 Leuabunt, quidquid fecimus damnorum
 Minora quæ reliquit sidera
 Gemina natorum trias
 Publicum in decus festinatis crescens auctibus
 Donec illæ Phœben referant, illi Phœbum.



70

M A R G A R E T A E

B A R B A R A E

L Y A E

ILI AE

IN MEDIC VNAEQVE

NEC MINVS VM FLORE

TERRIS, QVA CVS FVERAT

CAELESTIBV INDICATAE

IN A ENSI

PVBL ITVS

SVPREM RATAE

D. X CV.

EXCVDERA S NISIVS.

